

Pag. 529. *Nomina episcoporum qui subscri-
pserunt.*

Hæc nomina, quæ desiderantur in vulgatis, sequen-
bantur in codice Divionensi synodicam ad imperato-
res : quæ quoniam **161** videntur magnam partem ex
veris ipsis actis a Vigilio traducta in disputationem
adversus Palladium, ideo propterea a nobis inspi-
cienda sunt, atque inter sese comparanda. Tribus
enim locis in hoc opere appellantur episcopi : primum
ipso initio, deinde in decursu altercationis, ultimo
ad finem synodicæ ad imperatores : non tamen ubique
omnes et iidem. Deesse quidem Acholium sive Ascho-
lium Thessalonicensem, jam monuimus in Vindiciis,
quamvis in synodico Pappi, vero ipsi Aquileiensi con-
cilio non modo interfuisse, sed et præfuisse affir-
matur. Quid autem Vigilium moverit, ut pro Acholio
Valerianum Aquileiensem episcopum concilii præsi-
dem inculcaret, videtur colligi ex rescripto Gratiani
pro cogenda synodo, quod cum datum sit ad quem-
dam excellentiæ titulo ab imperatore ornatum, con-
jectura est fuisse hunc Valerianum præfectum, ad quem
sex omnino rescripta Cæsarea hoc ipso Syagrii et
Eucherii consulatione, adeoque anno æræ Christianæ
381, quo et concilium Aquileiense celebratum est, edita
refert codex Theodosianus, pro quo episcopum Aquileiensem
cognominem prudens sive imprudens fictio suo concilio
præfecerit Vigilium. Inter episcopos notæ sunt sedis
Ambrosius Mediolanensis, Valerianus Aquileiensis,
Anemius Sirmiensis, Eusebius Bononiensis, Sabinus
Placentinus, Constantius Siscianensis, Maximinus
Emonensis in ms. qui in vulgatis Maximus. Est Emona
Ptolemæo urbs Pannoniæ su-

A perioris uti et Siscia. Eventius Ticiniensis, Abundan-
tius Tridentinus, Philaster Brixianus, Heliodorus Ab-
tiniensis, Felix Jadertinus. (Est Jadera in Dalmatia.)
Theodorus Octodorensis, Proculus Massiliensis, Con-
stantius Arausicus legatus Gallorum, Limenius Ver-
cellensis, Dominus Gratianopolitanus, Diogenes Ge-
navensis, Bassianus Laudensis in contextu et in sub-
scriptionibus, qui forte mendose in initio Basilianus.
Est Laus Pompeia in Liguria. Exuperantius Derto-
nensis. Amantius in vulgatis episcopus Nicensis, di-
citur in ms. episcopus *Joviensium*. An Jovaviæ in No-
rico, quæ nunc Salisburgum? Joviacum et Jovavium
ponit Itinerarium in Norico. At Jovis Parvam et Jo-
vis Magnam civitates **162** (Diospoles) censet Ptole-
mæus in tabula IV Africæ : qua ex Africa in hoc coæto
reperiuntur Felix et Numidius legati Afrorum. Justus
legatus Gallorum, creditur fuisse episcopus Lugdu-
nensis, sanctorum canonis æscriptus : cujus in *Vita*
apud Surium legitur, quod ad Italiæ quoddam concilium
vocatus, exinde nunquam Lugdunum redierit ; sed cum
Turnoui (in patria) substitisset, dicto vale amicis ac
notis, inde Massiliam, tum consensu navigio in Ægyptum
secesserit : atque ibi inter anachoretas vitam exegerit,
cum ministro suo Viatore, qui officio duntaxat lector,
diversus fuisse videtur ab illo Viatore qui synodicæ
Aquileiensi subscriptus inter episcopos legitur. Nisi hic
turbavit Vigilium ; apud quem etiam Artemius, Cassianus,
Marcellus et Eustatbius (qui in ms. Eustosius) initio
prænotati, neque in contextu altercationis, neque in
synodicæ subscriptionibus reperiuntur : et subscriptorum a
prænotatis diversus est ordo.

ANNO DOMINI DXX.

RUSTICUS HELPIDIUS,

V. C. ILLUSTRIS EXQUÆSTOR.

NOTITIA.

(Ex Bibl. Patr. Lugd.)

Rusticus Helpidius vixit temporibus Symmachi et C Scripsit consolationem sui doloris, cujus meminit :
Boetii, Anæstasio imperante, medicus Theodorici *Hinc etiam nostro nugata est schema dolori, etc.* Qui
regis Gotthorum, vir stirpe nobili et exquæstor. liber non exstat.

RUSTICI HELPIDII IN HISTORIAM TESTAMENTI VETERIS ET NOVI CARMINA.

EVA A DIABOLO SEDUCTA.

Evæ, viperea, vetitum decerpere pomum
Invidus, arte parat, tantæ quæ nescia fraudis
Credidit infelix socio peritura marito.

ANGELI AD MARIAM ADVENTUS.

Angelus illasum Mariæ per somnia Joseph
Connubium servare monet : hic dote repleta
Spiritus hoc quod sit flagrans, salvatur honore.

ADAM ET EVA DE PARADISO PELLUNTUR.

Pellibus accincti, peccati signa ferentes,
Pœnarum famuli linquunt felicia regna,

Semper amica piis peccantes respuit aula.

LATRO IN PARADISUM INTRODUCITUR.

Sacra nemoris, Domino per amena vireta
D Felix latro, duce, hospitium vitale meretur,
Fortificata fides vincit tot crimina vitæ.

NOE ARCÆ, PRÆCEPTO DOMINI, INCLUDIT OMNIA.

Hic volucres, armenta, viros, genus omne ferarum,
Ne quid diluvii perdat violentia, Noë
Colligit, atque unam, tot condita, condit in arcam.

PETRO VISIO DE COELO OSTENDITUR.

Reptilium pecudumque genus, cunctasque volucres